

# Ratio interpretandi inscriptionem antiquam Turici forte repertam ad mentem viri clarissimi Io. Caspari Hagenbuchii [...]

Autor(en): **Hagenbuchius, Casparus**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1747)**

Heft 6

PDF erstellt am: **17.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394602>

## **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## **Haftungsausschluss**

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

Ratio interpretandi  
**INSCRIPTIONEM**  
**ANTIQUAM**

**TURICI** forte repertam

Ad mentem Viri Clarissimi

**JO. CASPARI HAGENBUCHII**

*Ling. Lat. & Græc. Prof.*

**Q**Uum superioribus his æstivis mensibus in complanandis Tilieti (Lindenhof) ambulacris occupati essent fossores arenarii, operas curante ac dirigente Viro Spectatissimo JO. HENR. WERTMILLERO, necopiniantur incidunt in Saxa quædam grandiora varii artificii & diversæ ætatis, haud procul ab invicemque tumultuarie projecta. Hæc inter rudera Lapidem nostrum tergum obvertentem conspicati, nil magni sibi de rudi hac, ut videbatur, mole promittere audent; revolutum vero in faciem non mutum esse Lapidem, sed disertio titulo ornatum & nescio quæ ænigmata loquentem stupent: (Pars enim adversa, quæ *Titulum Sepulcralem* habet incisum prona sub terra jacebat, qui Situs conservandis litteris haud parum profuit.) Fit ad novum isthoc Spectaculum magnus hominum concursus, sed deest hæcenus Oedipus, qui *Λογίδια* hæc expediat: donec rumore excitatus advolat

advolat Vir Clarissimus & moris antiqui peritissimus HAGENBUCHIUS noster, qui qua est in hoc literarum genere perspicacia, Lapide eruditius suis oculis paulo attentius inspecto, ejus Inscriptionem confestim expedite legit & interpretatur, atque etiam docet, hunc *Titulum Sepulcralem*, egregium Romanæ Antiquitatis monumentum, & verum *Urbis nostræ nomen*, & memoriam *Stationis Quadragesimæ Galliarum*, quæ sub Imp. Rom. in hac Urbe fuerit, conservare. Lapidis formam Titulumque Typus cum Prototypo accurate compositus exhibet. Ipse vero Vir Clariss. ut suæ Interpretationi fidem faceret, prolixa & multa eruditionis antiquariæ copia referta ad GORIUM suam Epistola hoc argumentum illustravit atque infinitis prope ex doctrina epigraphica exemplis ita communivit ac confirmatum dedit, ut de interpretationis veritate & ipsius monumenti excellentia ac dignitate, nemo amplius vel tantillum possit ambigere. Et quanquam hæc Epistola illi *Epistolarum epigraphicarum* volumini, quod forte sub ipsum hoc tempus in publicam lucem exire gestiebat, augendo sit destinata, eam tamen seorsim sub hujusmodi titulo exstare voluit: JO. GASP. HAGENBUCHII ΤΕΣΣΑΡΑΚΟΣΤΟΛΟΓΙΟΝ *Turicense*, sive *Inscriptio antiqua*, ex qua TURICI sub Imp. Rom. STATIONEM Quadragesimæ Galliarum fuisse primum innotescit, *Commentario illustrata. Turici. Sumtibus Heideggeri & Socc. MDCCXXXVII. 4. pl. 18½.* Nos ex luculenta hac Commentatione summa tantum capita, quæ proxime ad hujus Tituli sepulcralis interpretationem facere videntur, excerpemus; atque etiam sub Cl. Viri persona, ejusdemque, quantum fieri

fieri potest, verbis, rem omnem carptim explicabimus, in quo tamen si forte præter Viri Clarissimi mentem quædam nobis excidant, quæ minus recte fuerimus assecuti, ea nobis, non illi, imputari volumus. Cæterum si qui sint ex Lectoribus nostris, qui plura scire cupiant, eos ad ipsum Clariss. HAGENBUCHII Librum ablegamus, ubi invenient, quo sitim possint ubertim restinguere.

Verf. 1. & 2. D. M. HIC SITUS EST] Formulæ sepulcrales tritissimæ *Diis Manibus.* & HIC SITUS EST. Rarius tamen ambæ, vel ita continuo positæ, in Titulorum Sepulcralium initiis occurrunt. Posterior autem hæc formula HIC. SITUS. EST. ita usu invaluit, ut frequenter Siglis H. S. E. tantum notata in Inscriptionibus antiquis obvia sit. *Plinius* Lib. VI. ep. X. & Lib. IX. ep. XIX. hos duo Virginii Rufi Sepulcro inscriptos versiculos memorat:

*HIC SITUS EST Rufus, pulso qui Vindice quondam Imperium adseruit, non sibi, sed Patriæ.*

V. 3. LAEL.] Saxi voces omnes sine distinctionibus continuantur & cohærent. Legendum autem heic non conjunctim LAELius, sed divisim *Lucius* AELius certum est ex statu Patris libertino; diserte enim V. 5. VNIO AVGVSTI LIBERTUS dicitur. Filius autem de more Patris gente est censitus: Pater *Augusti libertus* itidem de more gentem Augusti Patroni sui est secutus. At nemo Augustorum ex *Lælia* gente fuit. Fuisse autem ex *Aelia* plures, *Historia Imperatorum Rom.* testatur facit.

VRBI.

VRBICVS ] Cognomen notissimum, quod in ipsa etiam Aelia gente atque alibi legitur: Exempla compluria studiose conquisita in unum contulit *Genebrierius* in *Disertatione de Magnia Urbica*. Quadratarius spatio exclusus S minusculum intra V arctatum inseruit.

V. 4. VIXIT ] Ligatio duarum Literarum I & T frequens est Saxis antiquis: quæ mox idem valet ac IT, ut hic. Vel etiam TI, vel ITI, vel TIT.

AN ] Ligatæ & hic sunt duæ Literæ A & N, quas AN hic legendas, alibi NA notare, pluribus doceri posset.

V. 5. AN. VNO. M. V. D. V.] h. e. ANno VNO, Mensibus quinque, Diebus V. sive etiam ANno VNO, Menses quinque, Dies quinque. Scalliger Ind. XIX. voc. *Casus mutatio sive Antiptosis*. Vixit annos tot, mensibus tot: aut contra, annis tot, menses tot, creberrimum in titulis monumentorum, ut MXXXV. IO.

AN. VNO ] Potuisset Quadratarius, si voluisset, integrum nomen numerale cardinale VNO compendifacere, quo omisso AN suffecisset: In titulis enim Infantium intra bimatam morte raptorum pro *Anno uno*, vel *Annum unum*, ἀπλῶς *Anno*, vel *Annum* sæpenumero reperies, dignusque est Fabrettus, qui de hac *incorrupta Latinitatis formula*, ut vocat, legatur p. 550. tot. & p. 592. b. D. In D. Jacobi Epist. IV. 13. Ἐνιαυτὸν ἓνα, at Actor. XVIII. 11. Ἐνιαυτὸν καὶ μῆνας

legimus. Ita non rarus est exemplorum numerus, in quibus post ANNum vel ANno suffigitur aut numeri nota I, aut integra vox VNVM vel VNO. In Saxo nostro ultimum O superne intra N inclusum est forma minuscula: unde in mentem mihi quoque venit, annon legi possit ANnis V. NumerO. Scilicet in Siglis interdum vocum tantum litteram initialem & ultimam, seu casus terminationem, invenimus incisam: unde & διτλογραφίαν Κυρίω & Καρῶ in D. Pauli ep. ad Rom. XII. 11. ortam volunt.

V. 6. VNIO] Nomen hoc Pater Lucii Urbici habuit, quum adhuc servitutem serviret. Pertriturum nomen non est VNIO: unus tantum in vasto Gruteri opere occurrit, quanquam Servos a gemmis nomina repetiisse pervulgatum sit. At postea manumissus VNIO, eo pro Cognomine est usus, ut Liberti solebant Prænomine & Nominis gentilitio Patroni accepto, nomen, quo uno Servi erant dicti, tertii nominis seu Cognominis loco habere.

VNIO AVG. LIB.] Libertos, præsertim Augustorum, sæpius sprete postuma sui fama, & nominibus fervilibus contentos se atque Augustos suos nobis obscuros reliquisse, observat Fabretus pag. 247. a. G. At in hoc Saxo ex tribus Filiis nominibus obscurum haud est, *AELIUM VNIONEM* dictum, *AELII* cujusdam *Augusti* Libertum fuisse. Neque repugno, si quis patrem *Lucium AELIUM VNIONEM* dictum velit; quanquam patribus & filiis eadem semper fuisse prænomina, non concedam. In antiquis Saxis plurimi *AELII AVGUSTORUM*

rum LIBerti: quem vero singuli Augustum AELiæ gentis habuerint Patronum, non facile possumus existimare, ubi alia documenta non adsunt. Ex Imperatoribus Rom. Hadrianus primus AELiæ gentis fuit, cui pater Ael. Hadrianus cognomento Afer fuerat. Hic sibi adoptavit primo L. AELium Verum Cæsarem, nunquam Augustum: deinde vero post hujus excessum T. AELium Antoninum Pium, cui hanc conditionem addidit, ut ipse nepotem L. AELium Aurelium Verum cum M. Aurelio Antonino Philosopho adoptaret, qui primi pariter Augusti cœperunt Remp. regere. Post hos imperium obtinuit Marci filius L. Aelius Aurelius Commodus. Hi secundo post C. N. seculo Imperium Rom. tenuerunt. Accedit, quod ipsa Saxi nostri literarum forma bonitatem & usum secundi Seculi referat. Ego suspicione quadam ductus ad tempora L. Aelii Veri, M. Aurelii in imperio Collegæ Saxum Turicense referrem.

V. 7. P. P.] In monumentis veteribus hæ Siglæ diversis significatibus sæpe occurrunt. Sed duo P. P. Officiis Domus Augustæ præfixæ, quin *Præpositum* istiusmodi officio significant, dubitari nequit; invicte inducto magno exemplorum numero id a Clariss. Hagenbuchio comprobatum est.

P. P. STA. TVRICEN. XL. G.] interpretor: *Præpositus STATIONIS TVRICENSIS quadragesimæ Galliarum.* De Quadragesimis Reinesius ad Rupertum: *Erat Quadragesima portorium, quod præter instrumenta itineris omnes res Publicano debeant.* Scil.

Scil. vectigal mercium, ita dictum, quod unum in singula XXXX, seu ut vulgo loquimur  $2\frac{1}{2}$ . per Cent, fisco Imperatoris solvebatur: Ejus meminere Quintil. Declam. XXXV. 6. Sueton. Vesp. c. I. & Symachus L. V. ep. LXII. & LXV. qui solvi suo adhuc tempore consuevisse testatur. Græce istiusmodi Quadragesimarius diceretur τετρακοσολόγος, τετρακοσώτης, ὁ τὰς τετρακοσὰς ἀπαιτῶν. In vasto Gruteri opere ne quidem ulla Quadragesimæ mentio apparet. Apud Reinesium Synt. Inscript. IX. 36. p. 563. occurrit QUINTIO AVG. LIB. TABVLARIVS XXXX GALLIAR. Apud Mur. 893. 8. JVCVNDVS AVG. LIB. ACTOR, XXXX. GAL. Jam olim Augustum Imp. in suas pariter & in Populi R. provincias non modo ἐκ τῶν Ἰππέων, equestris ordinis Viros; sed etiam ἐκ τῶν Ἀπελευθέρων, Libertos, misisse Ἐπιτρόπους, Procuratores, Dio memoriæ prodidit Lib. LIII. p. 596. C. Consulendus autem in hanc rem imprimis P. Burmannus in *Disertatione de Vectigalibus P. R. curis secundis illustrata*, qui Cap. V. p. 64. seqq. de *Quadragesima mercium* luculenter disputavit. Officia, quæ isti mercium vectigali administrando & exercendo operam suam navarunt, ordine enumerare, nemo facile poterit: Quantum in tantis antiquitatum tenebris cernere datur, Procuratores XXXX Provinciarum uni alicui Romæ curationem & magisterium fisci quadragesimalis obtinenti paruerint. Sub Procuratoribus in Provinciis fuerint Præpositi, sub se habuerint Tabularios & Actores, hique Servos seu Ministros viliores eidem negotio quadragesimali intentos, in eoque operam suam locantes.



STA ] Vir Clariss. P. Burmannus: Plurimas Stationes habuit Fiscus, quæ erant diversæ mansiones, in quibus officia fiscalia erant constituta, fere similes, quas in Gallia *Bureaux* vocant. Unde tot fuere Stationes fisci, quot genera vectigalium & tributorum. &c.

STA. TVRICEN. ] Ex omnibus Saxis antiquis, quorum pauca sunt quæ XXXX Galliarum referunt, unum modo Stationis XXXX Galliarum memoriam conservavit, ante erutum Saxum Turicense: Quod vero hoc nostrum magis etiam commendat, Stationis quoque locum designat, ita ut dilucide appareat, hanc Stationem XXXX Galliarum olim Turici fuisse, & ab hoc oppido nomen Turicensis habuisse. Habuit igitur Fiscus Imp. Rom. Turici suam Stationem seu mansionem, in qua officium fiscale quadragesimæ Galliarum erat constitutum. Ab hisce Fisci Stationibus diversæ erant Stationes militum, per opportuna loca dispositæ, ita tamen, ut olim adjuncti quoque fuerint milites, qui publicanis in exigendis pecuniis opem ferrent & contra vim ac fraudes mercatorum adessent. Docuit hoc antiquitatis fide Burmannus de Vectigal. P. R. p. 145. Et existimo Stationi Turicensi XXXX Galliarum quosdam Legionis XI & XXI, quarum memoria in Saxis antiquis haud procul Vindonissa erutis restat, milites præsidio fuisse. Hanc conjecturam ex eo potissimum duco, quod paucis passibus ab lapide nostro aberant, eadem die & postridie eruti lateres cocti, in quibus hæ duæ Legiones, LEG. XI. CL. P. F. & LEG. XXI (illa literis extantibus, hæc incisis,) leguntur;  
forma

forma & literis simillimi eorum, quos abhinc annos XXIII in agro Turicensium Clotano inventos Bibliotheca nostra civica adservat, quibus & Turicenses fraterculi, una cum Fibula antiqui operis cum iisdem inventa, ut & numi quidam Imp. Rom. (\*) cum argentei tum ærei, sunt additi: quin & ipse Titulus sepulcralis L. AELII Urbici in aditu Templi ad aquas juxta Trajani Columnam Miliariam collocatus ac depositus est. Mirum autem non est Turicum nostrum huic negotio fiscali agitando quondam sub Imp. Rom. commodissimum visum esse. Quomodo hoc oppidum postea Seculo IX seu Carolinorum tempore *Camera Imperialis* celebrari cœperit, notum est ex Rescripto Ludovici Pii Aquisgrani edito XV Martii VIII anno Imperii, datoque Gotzeberto Abbati S. Galli: de quo conf. Guillim. de R. Helv. III. cap. V. p. 346. In urbe Turici Stationem quadragesimæ Galliarum instituere placuit

R 2

Roma-

(\*) Hi numi ex Clariss. Viri J. JAC. GESNERI indicio sunt: 1.) argenteus CAESAR AVGVSTVS DIVI F. P. P. Caput Augusti laureatum. C. L. CAESARES (Augusti F. Cos. Desig. Princ.) JVVENT. Duæ figuræ togatæ clypeis assistentes cum hastis puris, lituo & capeduncula. Vide Mediobarbi Num. Imp. R. p. 39. & 57.

2.) ærei.

{ IMP. DIVI F. P. P. Capita adversa Agrippæ & Cæsar.  
Col. NEM. Crocodilus palmæ alligatus cum duabus corollis.

Vide Mediobarb. l. c. p. 56. 3.) L. AELIVS CAESAR capite nudo: TR. POT. COS. II. S. C. Spei typus, mulier stans vestem sublevans, Mediob. p. 189. Ipse vero Celeberrimus Hagenbuchius affirmat plures adhuc sequioris quoque ætatis, immo etiam medii ævi bracteatos nonnullos esse erutos, quos autem omnes, quum satis noti sint, nihilque causam suam juvarent, consulto prætermiserit.

Romanis ob loci & lacus Turicensis opportunitatem, de qua Stumpfius Annal. Lib. VI. Cap. XI. Die Gelegenheit der Stadt Zürich mag verstanden werden aus dem fruchtbaren lieblichen Gelände, welches an Wein, Korn und allerley guten Früchten einen Ueberfluß hat: Ja es giebt solches auch zu erkennen der liebliche schiffreiche Fluß Lindmat und darob der schöne See, der sich bey 28000 Italischer Passus oder Schritten hinauf gegen dem Gebürge erstrecket, und mit einer so angenehmen Landschaft gleichsam eingefasset und gezieret ist, daß sie sich völlig einem fruchtbaren Lustgarten vergleichet. Durch dieses Thalgeländ der Stadt Zürich und über den See hinauf geht die allerbrauchbarste Land-Strasse von den Tribocis und Rauracis, d. i. Straßburger-Elssasser- und Basler-Landschaft zu den Rhaetiern und fürter über das Alpgebürge in Italiam. Auch mögen auf dieser Strasse alle Kauffmannsgüter, so aus Italien gebracht werden, bey 50000 Schritten ob Zürich, nemlich am obersten Portgeländ des Wahlensees, bey dem Städtlein Wahlenstatt eingelegt, und in Schiffen auf dem Wasser bis gen Zürich, auch fürter auf der Lindmat und dem Rhein hinab bis an das teutsche Meer, ja bis in Britanniam oder Engelland gefertigt werden. Has autem in lacu Turicensi advectiones subvectionesque, inde per fluvium *Lintæ* & lacum *Wallenstadiensem*, hinc per fluvium *Limagi* seu *Lintmat*, quem *Arola* ad *Helvetiæ* *Confluentes* (*Coblenz*) in *Rhenum* defert, adjuvabant duæ ab Romanis munitæ viæ  
expon-

exportationi & invectioni commodissimæ, quas ad Summitatem lacus Wallenstadiensis alteram, alteram supra Helvetiæ Coblenz Vir longe Celebr. J. JAC. SCHEUCHZERUS primus observavit *Itiner. Alpin.* p. 160.

C. Jul. Cæsar *iter per summas Alpes* (Penninas, hodie Montem S. Bernhardi majorem) quo magno cum periculo, magnisque portoriis mercatores ire consueverant, patefieri volebat: de *Bell. Gall.* Lib. III. Hoc patefacto itineri postea Romani multum usi sunt, a *Mediolano per Alpes Penninas Magontiacum*, ut est in Antonini Itinerario: hacque venientes per loca Helvetiæ maxime occidua tantum iverunt. Alterum Romanorum iter ex Italia per Alpes Ræticas communissimum *Curiam Rætorum*, indeque ad lacum Brigantinum adeoque & in Helvetiam ducebat. Alpes Penninas inter & Ræticas notissimum hodie iter est ex Italia per montem Gotthardum in Helvetiam: hoc vero Romanis jam apertum fuisse tritumque, nugæ sunt maximæ: neque credunt, nisi quibus *Alpes summæ* Cæsaris non Penninæ fuisse pessime videntur. *Missæ* per Ræticas Alpes merces, item quæ ex Pannoniis, Norico, & Vindelicia Galliæ Belgicæ importabantur, non ab lacu Brigantino per Rheni decursum ad Rauracos devehebantur, sed per lacum Turicensem, quod hæc itineris ratio erat erat tum propior, quia interior: tum tutior, quia trans Rhenum, Imperii Rom. limitem, objacebant Helvetiæ Germani, hostes Helvetiorum Romanorumque. Antiqua etiam Rom. Itineraria ab Arbore Felice ad Rauracos minime per Ripam Rheni ducunt, sed per loca Helvetiæ

mediterranea, ad Fines, Vitodurum, Vindonis-  
sam.

Quid si dicam, hanc Stationem fuisse Turici  
in vico, qui Tilieto subjacens ad sinistram aquæ  
Urbem nostram interfluentis situs, vulgari nunc  
vocabulo die Schipfe dicitur, a scaphis seu navi-  
culis? Quid si AVGusti LIBertus Præpositus Sta-  
tionis, ab Augusto suo sibi demandatum hoc Do-  
mus Augustæ officium (diese Hofbedienung) Tu-  
rici exercens, in Tilieto, qua id parte in aquam  
prospectat, suam sibi sedem fixit? ubi domus in  
illa declivitate ædificata vulgo nunc das Schloß-  
lein vocatur, & Præsidis olim Rom. domicilium  
fuisse, ut & Tilieto nomen suum der Hof, ab  
aula Imp. R. seu Domo Augusta hæsisse creditur.

TVRICEN] En hic Urbis nostræ nomen an-  
tiquum & genuinum a TVRICVM, ut ab AVEN-  
TICVM est AVENTICENSIS: quod ad nostra  
usque tempora, sibilante Z pro T recepto accu-  
ratissime conservatum dicitur ZYRICH. In num-  
mis mediæ ævi bracteatis, nec non in libris, dip-  
lomatibus, chartis, seculorum posteriorum ZV-  
RICH, TVRICVM & THVRICVM, DVRE-  
GVM, THVREGVM &c. passim appellatur.  
Per errorem igitur, sine antiquo teste adhuc cre-  
ditum est, ZYRICH olim habuisse Tiguri nomen,  
a quo quarta pars seu Pagus Helvetiæ antiquæ  
Pagus Tigurinus Cæsari Lib. I. de B. G. sit appel-  
latus. Primus hunc errorem erravit, multisque,  
Turicensibus imprimis, persuasit Henricus Glarea-  
nus in Paneg. Urbium Helv. confœd. Basileæ 1519.  
4. edito. Quod si maxime verum esset. Pago  
Tigu-

Tigurino ab oppido quodam Tiguro id nominis inditum olim fuisse, tunc certe fatendum nobis potius esset, situm oppidi Tiguri nos adhuc ignorare. Scaliger Tigurum prope Aventicum quæri voluit. Stumpfius & J. Jac. Huldricus, quum observarent Gentium Gallicarum oppida primaria compluria, nomine speciali, quo prius gaudebant, abjecto, ipsius postea gentis suæ nomine dici cœpisse, ut *Lutetia Parisiorum*, *Parisini*, hodie *Paris*: *Durocortorum Remorum*, hodie *Reims*: *Divodurum Mediomatricorum*, hodie *Metz*: *Augusta Sueffionum*; *Sueffiones*, hodie *Soissons*, ad eundem modum primum *Zyrich*, *Turicum Tigurinorum* dictum sibi persuaserunt, unde deinceps *Pagi Tigurini* appellatio fuerit propagata, cujus metropolis *Tigurum* habita. Ego utrum Aventicum, an Turicum, olim in Pago Tigurino fuerit situm, perinde ignoro: neque moror Rhenani sententiam Tigurinos de Uraniis interpretati. Clariss. HAGENBUCHII de origine nominis ZYRICH hujusmodi est conjectura: Minor civitas, quæ antiquior esse majore censetur, & arce, ubi nunc Tilietum est, enituisse ab ipso conditore primo exstructa traditur, forte ab ipso Tilieto rupibus imposito innixoque, seu potius ab ipsis his rupibus, quibus conditores primi arcem imposuerant, quæ in aquam prospectaret, nomen ZYRICH vel TVRICH meruit accipere. ZVR-ICH, q. d. *Rupes ad aquas*: nam ZVR, ZYR vel TVR, *rupem*; ICH vel ACH *aquam*, denotant in linguis vetustissimis. TYRVS Phœnicis urbs celeberrima super Petris ædificata nomen habuit a  $\tau\upsilon\varsigma$ : unde Aramæorum consuetudine sibilo in T converso cum græco exitu *Τύρος*, *Tyrus*, dicta. Multi

quoque ab eodem צור etiam *turrim angusta acie* notante græcum Τύργος h. e. Πύργος & latinum *Turris* derivarunt.

TVRICEN] Scapus τ̄ R productior est : Tum E situ inverso positum, ut τ̄ N adglutinari connectique aptius posset. Id vero tabula rectius ostendet, quam ego verbis eloquar.

STATVRICEN] In lapide Turicensi non sunt voces aliæ, quæ arctius cohæreant, q. una tantum vox esset, nullo intervallo distantes, quam hæ: Id me adducit, ut fere existimem, Quadratarium Turicensem, nisi spatii angustiae vetuissent, STAT. TVRICEN. incisurum fuisse. Videlicet hic marmorariorum veterum mos erat, litera una semel incisa sic uti, quasi eadem bis esset posita: Ita hic T τ̄ STA simul finit & TVRICEN simul incipit.

V. 8. XL] Literis numeros significantibus solet lineola frequentissime superimponi. Ipsa quadraginta antiquos Romanos XXXX potius, quam XL signasse observat Cellarius Orthogr. lat. p. 61. Addere potuisset nonaginta veteres Latinos cum XC tum LXXXX signavisse; quod Fabrettus pluribus docuit, p. 561. 562. 563. Quidni igitur ex Lapide Turicensi colligere liceret, Romanos olim XL quoque, non tantum XXXX signasse; id quod tunc maxime factum videtur, si spatiorum angustiae diffusius XXXX minus bene capiebant.

G.] Vere recteque hanc Siglam per *Galliarum* explicari persuadent Saxa supra adducta, quæ post Quadragesimæ mentionem, pro G, ostentant extense GAL. GALLIARVM.

ET AEL. SECVNDIN] Literarum ligationes Typus ostendet: quas & in aliis Saxis non esse infrequentes Clariss. *Hagenbuchii* Doctrina declarat.

AEL.] Fuerunt, qui putarent Æ ligatum in Lapidibus indicium *υοθελας* esse: neque nescio in Saxis spuris Æ deprehendi: Sed & hoc non ignoro, in Inscriptionibus maxime sinceris interdum Æ esse incisum. Nostrum hoc Æ in Saxo Turicensi, si quid video, trium literarum ligationem refert, scil. A, E & L. Rarissimum est *Aeliae* gentis nomen duabus literis prioribus legi, ne nesciatur, ad *Aeliamne*, an ad *Aemiliam*, aut aliam ab AE inchoatam gentem spectet.

AEL. SECVNDIN] Cognomen hoc SECVNDINA factum per *εκλασι* a SECVNDA; & a SECVNDINA diminutivum SECVNDILLA: Pari modo a *Prima*, *Primina*, *Primilla*: a *Septima*, *Septimina*, *Septimilla*: a *Maxima*, *Maximina*, *Maximilla*. SECVNDINA Aelii Unionis uxor AELIAE gentis quoque fuit: Cujus rei causam facile intelligunt, qui Reinesianam regulam sequuntur, quæ vult, olim uxores maritorum gentes secutas esse: quam autem Fabrettus p. 117. a fine b. rejicit ac refellit. Heic vero *Aeliam Secundinam* Conjugis sui *Aelii Unionis Augusti Liberti* collibertam,



aut si malis libertam fuisse, quid credere vetat?  
Frequentissima olim ejusmodi Conjugia.

V. 9. P. DVLCISSIM. F.] Interpretatus sum  
*Puero DVLCISSIMO Fecerunt.* Vix est aliud no-  
men appellativum in adfectu parentum erga libe-  
ros magis solitum, quam *Dulcissimo, Dulcissima.*  
Usum potiozem secutus, non intercedo, si quis  
legere malit: *Posuerunt DVLCISSIMO Filio; vel*  
*Parentes Dulcissimo Filio; vel Parentes Dulcissimo Fecerunt.*



DAVID